DE
SCARLATINAE MORBIS
IN
POLICLINICO BONNENSI
INTER PROXIMAM EPIDEMIAM OBSERVATIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

QVAM

SVMMORVM IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORVM AVCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORVM ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XV. MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCLXI

PUBLICE DEFENDET

WOLFGANGVS WOLFF

RHENANVS.

ADVERSARIORVM MVNERE FUNGENTUR:

IOH. SARTER, DR. MED.
RICH. SCHMITZ, DR. MED.
ANT. WOLTER, CAND. MED.

BONNAE

FORMIS FRIDERICI KRUEGER.

VIRO ILLVSTRISSIMO

M. E. A. NAVMANN

REG. A CONSIL. MEDIC. INTIM., EQVITI ORD. AQ. RVBR. IV CL., MEDICI ET CHIR. DOCTORI, MEDIC. PROFESS. PVBL. ORD., INSTITVTI MEDICI CLINICI ET POLICLINICI IN VNIVERSIT. FRID. GVIL. RHEN. DIRECTORI COMPL. SOCIET. SODAL. ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

D. D. D.

AVCTOR.

Multos iam per annos Bonnae in urbe Scarlatinae morbi ita vigent, ut domestici quasi possint nominari, quippe qui modo passim raroque proveniant, modo etiam efficiant epidemias, quae haud parvi sunt momenti ad illum morbum cognoscendum.

Quarum quidem unam, quae mense Octobri anni 1858 oxorta usque ad mensem Maium a. 1859 Bonnae versabatur, vir clarissimus Dr. Otto Deiters*) primus adhuc medicus assistens in Bonnensi, cui vir ill. Pr. Dr. Naumann praeest, nosocemio in libro illo „Göschen's deutshe Klinik" copiose accurateque, quoad pertineret ad Policlinici munus, descripsit. Ex illo quidem tempore hic morbus nonnullos per menses desistere videbatur, — aliquamdiu certe in nosocomii ephemeridibus eius nulla fit mentio — et qui postea singuli atque in Sporadum forma exstiterunt eius generis morbi, mox evanuerunt ita ut iterum nonnullos per menses haud apparerent. Sub finem autem mensis Septembris a. 1860 duo eique leves Scarlatinae morbi observati sunt,

---

*) „Merkwürdige Scharlachfälle, beobachtet in der Klinik von Geh. Med.-Rath Prof. Dr. Naumann zu Bonn. Deutsche Klinik 1859 Nro. 12." und „Ueber die in den letzten Monaten in der Klinik von Geh. Med.-Rath Prof. Dr. Naumann zu Bonn beobachteten Scharlachfälle. Deutsche Klinik 1859. Nro. 31, 32 u. 34."

quibus cum mox plures accederent, parva effecta est epidemia, quae continuabatur usque ad mensem Februarium a. 1861, hoc tamen mense a morbillis tum exortis quasi demota est. Quum igitur, ut supra iam commemoravimus, mense Septembri duo, Fehruario autem unus tantum eius modi morbus curaretur, ipsius epidemiae tempus statuere licet in quatuor illos menses ab Octobri a. 1860 usque ad Ianuarium a. 1861 incidisse. Atque de eis potissimum morbis, qui illo acciderunt tempore scribere mihi proposui.

In universum quadraginta duo notavi morbos, quorum triginta quinque mea observatione ipse novi, quippe qui mihi in nosocomio medicinam exercenti curandi traderentur. Hoc autem loco facere non possum, quin gratias quam maximas publice agam viro praeclarissimo Dr. Deiters, qui cum ei enuntiarem, id me cepisse consilium, ut Scarlatinae morbos mihi proponerem argumentum dissertationis inauguralis maxima cum benignitate tantum illornm numerum observandum mihi offerret. Nec tamen minus certae mihi praesto sunt observationes de septem illis ceteris, qui in Policlinico curabuntur, morbis. Attamen hoc loco fieri profecto non potest, ut unumquemque morbum accurate et copiose velim describere, sed illos tantum, quorum narratio magni esse potest momenti, brevi commemorabo.

Morborum indoles, quae tum, quum exorta est epidemia, praevalebat, inprimis opportuna potest nominari ad efficiendas Anginas et catarrhos; quam ob rem etiam in nosocomii ephemeridibus plures eius modi morbos eosque, saepe graviores mense Septembri accidisse refertur. Temperatura enim ante epidemiam illam exortam continuo ac celeriter decrescebat, et quum antecessisset aestas pluviosa et frigida, thermometrum iam a. d. XVII Cal. Octobr. + 93° R., Idibus Octobr. + 5,2° R., indicavit minimam diei

temperaturam et deinde ita descendebat, ut tantum fieret frigus, quantum nostra in plaga esse non solet. Barometri autem in universum quidem paucae tantum fiebant mutationes.

Hoc loco liceat nonnulla addere de urbis vicis, in quibus tum epidemia consederat. Atque primum quidem unicuique profecto mirum videtur, quod in vico illo κατ᾽ἐξοχὴν, ut ita dicam, malo, qui vocatur „Kaule" ne unus quidem Scarlatina afficiebatur, sed ea percrebruerat in aliis tantum eius modi vicis, ubi multi homines angustis locis quasi compressi liberi aëris flatu aptaque ventilatione privabantur, at contra omnibus noxiis temperaturae mutationibus expositi erant. Plerumque enim, quum aegrotos visitaremus, in eas ducebamur domos, in quibus familia quinque vel sex, vel etiam octo hominum unum tantum vel ad summum duo tenebat conclavia. Cum igitur acerrima illa hiems incolas prohiberet, quominus libero fruerentur coelo, fieri fere non potuit, quin saepissime omnis generis exspirationibus perniciosissimae salubritati conditiones efficerentur. Illis certe éx conditionibus potissima causa repetenda est, cur numerus complicationum morborumque consequentium mortiferorum ratione habita universi morborum numeri haud parva, ut postea accuratius exponemus, fuerit magnitudine.

Ut statuamus etiam rationem aetatis eorum, qui in Policlinico curabantur, aegrorum, tenerrima fuisse aetate notavi infantem septem mensium, cuius germani iam antea Scarlatina erant affecti; grandissimus autem aetate fuit adolescentulus septendecim annorum; ex quo intelligitur, terminos quidem valde late distentos fuisse; attamen addendum est, longe maximum fuisse numerum eorum, qui 2—11 annorum erant. Sexus denique aegrotorum rationem eam fuisse invenimus, ut par esset numerus puerorum puellis,

quae illo morbo correptae sunt; quam ob rem illa in epidemia nihil prorsus potest nec observari nec statui, uter sexus magis fuerit obnoxius illo Scarlatinae veneno. Contagio autem ipsa tanta fuit, ut, qua in familia unus infans in illum morbum inciderat, etiam ceteri paullo post corriperentur eodem morbo. Quod quidem maxima ex parte inde venire mihi videtur, quod cum angustissimis, ut supra iam diximus, locis, aegroti una cum sanis coarctati essent, fieri non potuit, ut hi ab illis separarentur.

Quanta fuerit vehementia illius epidemiae in universum quidem vix potest accurate constitui et hoc tantum licet afferre, epidemiam, si rationem habemus numeri aegrotorum, qui simul erant curandi, mensibus Novembr. et Decembr. summum, ut ita dicam, fastigium esse assecutam, cum ad utrumque mensem tredecim referrentur Scarlatinae; ceterae autem gradatim quasi distributae erant in menses ceteros ita ut sub finem m. Septembris duae, mense Octobri sex, Ianuario septem, Februario denique una accideret.

Stadium illud, quod dicitur praecurrens raro quidem potuit observari; attamen plerisque in aegrotis percunctatione facta poteramus statuere, commotiunculam quandam totius corporis, ciborum fastidium, difficilem somnum, alias eius modi conditiones per quatuor vel quinque dies veniens exanthema praenuntiasse. Intendum tamen nulli potuerunt inveniri praecursores ne accuratissima quidem percunctatione. Quibus autem in aegrotis illud stadium observabatur, semper conspiciebantur non solum eae, quas iam commemoravimus, morbi notae, sed etiam febris accessiones, Hyperaemia posterioris cavi oris, lateris pharyngis et veli palatini una cum tumore tonsillarum, quae signa plerumque duos vel tres post dies ipsum exanthema sequebatur. In duobus aegrotis, quorum alter puer erat decem et semis annorum (Joh. Becker),

alter adolescentulus septendecim annorum (Ph. Schneider), quorumque morbos postea paullo accuratius ennarabimus, morbus id cepit initium, ut acerrimo iactaretur frigore et febri prior quidem duobus, alter autem uno die ante quam cutis rubor conspiceretur. In alio initium morbi duobus diebus ante exortum exanthema fecit erysipelas lateris sinistri atque exanthema ipsum progrediebatur acri colli affectione et infiltratione telae cellulosae subcutaneae colli. Febris fuit acerrima et desquamatio, quae quinto die sequebatur, perfecta. Aegrota autem (Catharina D. septem annos nata) viginti circiter diebus prorsus convalescebat, nec ullus secutus est morbus secundarius.

Ut igitur ad ipsam Scarlatinam exponendam transeamus, primum attingendae esse mihi videntur formae exanthematis, quas illa in epidemia observavimus. Atque plerique quidem aegroti afficiebantur Scarlatina, quae nominatur variegata, qua in forma exanthematis in cute et primum quidem superioris corporis, conspiciuntur loci rubri eique ab initio parvi, mox tamen ita crescentes, ut expleant spatium thaleri, quin etiam manus, nihilominus autem cutem nativo colore intercedere patiantur. Saepe autem, haec forma, exanthemate ad discrimen fere progresso, in Scarlatinam laevigatam transibat, ita ut summa totius corporis cutis canceratico quodam rubro colore inficeretur. — In uno tantum aegroto Scarlatina miliaris observata est. Corripiebatur ea puer quatuor annorum morboque acerrimis febribus progrediente, exanthema quinque fere dies perduravit; tum autem uberrima secuta est desquamatio. Quam inter desquamationem pertinax intercessit Bronchitis periculosa ferens indicia; qua remota fluctuationem quandam in abdomine accessisse merito poterat coniici, ad organicam autem aegrotationem ea non licebat reduci; renes enim integros esse perscrutatione urinae satis

efficiebatur. Adhibitis deinde roborantibus et tonicis remediis periculosa illa signa sensim evanescebant et aegrota plane convalescebat.

In alio aegroto, puero sex annorum (Math. Dressbach) forma illa miliaris in extremis tantum inferioris corporis partibus conspiciebatur, cum corpus superius et praecipue quidem facies signa daret Scarlatinae laevigatae; quae observatio licet mira possit videri, nihilominus tamen certa est eoque magis notabilior, quod nulla sequebatur desquamatio. Haec igitur de exanthematis formis.

Ut autem universae illius Scarlatinae epidemiae formas afferam, morborum genera haec observata sunt: primum quidem eiusmodi morbi, in quibus perspicuum apparebat exanthema acrisque Angina et consequebatur legitima cutis desquamatio;

secundum ei, in quibus et exanthema perspicuum ac perfectum apparebat et cutis desquamatio consequebatur, colli autem affectiones aut leves raraeque observabantur, aut prorsus deerant; quare haec forma Scarlatina sine Angina nominari possit.

Ad tertiam formam referendi sunt eiusmodi morbi, quibus haud deerant nec exanthema nec Angina, desquamatio autem aut imperfecta, aut nulla erat,

ad quartam denique, ubi sola Angina efficiebat aegrotationem, nec ulla nisi levis tantum isque celeriter praeteriens cutis rubor, quem nulla sequebatur desquamatio, poterat observari, quam quidem formam Scarlatinam sine exanthemate nominare solemus.

Quarum formarum tres primum commemoratae, quas postea accuratius etiam exponemus, ab omnibus solent agnosci, quarta autem, utrum liceat constituere, valde dicre-

pantes adhuc sunt sententiae, veluti Dr. Alfred Vogel*) in libro suo, qui tradit praecepta de morbis infantium, magnam de ea re affert dubitationem. Mihi vero, cur ita iudicarem, ut eius modi morbos, quibus exanthema aut prorsus deerat aut levis tantum cutis rubor conspiciebatur, veram nominarem Scarlatinam, gravissimae sunt causae, primum enim eos consectabantur symptomata universae cuiusdam aegrotationis, quae in simplici Angina rarissime solent accidere, atque clare poterat demonstrari, contagionem quandam effectam esse per alium vero ac perfecto exanthemate aegrotantem; deinde tales succedebant morbi secundarii, quales veram Scarlatinam legitime progredientem solent consequi. — Equidem omnino ea sum sententia, ut percrebrescente Scarlatinae epidemia omnes illas Anginas, in quibus una illarum, quas commemoravimus, conditionum observatur, merito scarlatinosas nominari posse censeam. Quamquam enim Scarlatina in numero acutorum exanthematum adhuc solet referri, tamen iam omnes sine ulla dubitatione consentiunt, ita eam esse definiendam, ut sit universi corporis aegrotatio simulque afficiat singulas partes et praecipue quidem in faucibus atque in cute.

Plerumque igitur indicium exortae Scarlatinae ipsum illud exanthema comitante colli gravitate habetur; quod licet rectissime se habeat nec ullo iam egeat argumento, tamen ne id quidem negari posse experientia docet, inter Scarlatinae epidemias morbos provenire eiusmodi, ut nec exanthema nec desquamatio accedat, quos tamen propter causas iam supra allatas facere non possumus, quin ad veram Scarlatinam referamus. Ad quam sententiam comprobandam multa ex doctissimorum virorum libris afferri

*) Dr. Alfred Vogel: „Lehrbuch der Kinderkrankheiten. Erlangen 1860.

possunt exempla. Enarrat enim Brockmann, *) in epidemia quadam perniciosissima, multas sibi occurrisse Scarlatinas, exanthemate vacuas, quas nulla desquamatio, sed hydropicae affectiones essent consecutae. Refert porro James Harrison, **) inter epidemiam quandam accidisse Anginas, quae cum alias ob causas tum eo, quod in Albuminarias exirent, habendae essent Scarlatinae mutatis tamen solitis locis.

Idem docet Henry Kennedy, ***) qui cum inter epidemiam octo per annos continnuo fere saevientem medicinam factitaret, tum ea conditione et dignitate in nosocomio publico utebatur, ut optime adiuvaretur ad observationes et varias et accuratas instituendas. Hic igitur refert, nonnunquam livorem quendam in pedibus et manibus, praecipue ungues circumdantem solam effecisse cutis mutationem. Commemorat denique Dr. Deiters, ****) quum describat Scarlatinas anno 1859 observatas, quinque accidisse eiusmodi, in quibus omnes quidem cetera Scarlatinae symptomata adfuissent, exanthema autem minime esset conspectum. Deinde etiam enarrat medici cuiusdam morbum, qui multos cum visitasset Scarlatina aegrotantes, postea in se ipso observavit Anginam, quem secutus est morbus Brighti. Prosper tamen fuit exitus.

Ut igitur paullo accuratius illius generis morbos exponamus, primum quidem in eorum numero referenda est puella novem annorum, Elise Dunkel, in quam morbum a tribus germanis, antea iam Scarlatina affectis, contagione

*) Holschers Annalen. Bd. I. Heft 4. 1843.

**) Dublin quaterly journal of med. science. May 1853.

***) Some account of the epidemic of Scarlatina, which prevailed in Dublin from 1834 to 1842 inclusive with observations. Dubl. Fannin VI and 213 pp. 8.

****) loco citato.

quadam transiisse apertum erat. Morbus igitur id cepit initium, ut totius corporis commotiuncula nonnullis diebus praegressa, a. d. IV. Id. Dec. admodum vehemens Angina exsisteret modica tamen febri accedente; quae quidem Angina paucos post dies valde decrescebat, sed iam a. d. XVII. Cal. Jan. fluctuationem in abdomine inesse clare potuit demonstrari; renes tamen adhuc integros esse perscrutatio urinae satis docuit. Adhibito infuso diuretico, composito ex Baccis Juniper. et Herbis virg. aur. etiam ille aquae coitus sensim demovebatur, accessit tamen magna imbecillitas viriumque defectio, qua perbrevi Tuberculosin pulmonum celeriter progredientem cognovimus. Hac igitur iam a. d. XIX cal. Febr. mortua est puella. Valde dolendum erat, quod non licebat facere sectionem, cum domus illa eiusmodi esset, ut parentes cum tribus infantibus in uno conclavi convivere cogerentur.

Qui proxime sequebantur et ad illam Scarlatinae formam referendi sunt duo pueri, cum morbo Brighti affecti celerrimam mortem occumberent, postea paullo accuratius commemorabuntur, quum de hoc morbo secundario sermo erit.

Quartum denique afferre possumus puerum novem annorum, (Joh. Schneider), quem cum fratre suo, perfectissimo Scarlatinae exanthemate aegrotante, in uno lecto cubantem invenimus, dum duo alii fratres eadem Scarlatina affecti in altero iuxta illum posito lecto concubabant. In hoc igitur singulis tantum corporis locis levis cutis livor poterat animadverti, qui tamen haud sequente desquamatione celerrime evanuit; cetera autem symptomata satis clara erant eaque gravia. Exstitit etiam praeter colli symptomata, quae Scarlatinae propria esse solent, levis faciei tumor, cuius tamen causa non potuit inveniri; huiusmodi autem symptomata

saepissime inter Scarlatinam intercedunt. Accessit denique pertinax quoddam alvi profluvium, quo tamen remoto etiam alia incommoda sensim decedebant, nec ullus secutus est morbus secundarius.

Sed iam satis de illa, quam quarto loco supra posuimus, forma Scarlatinae dixisse mihi videor, quare restat, ut ad ceteras transeamus.

Atque de prima quidem, in qua et exanthema et Angina et desquamatio aderant, ita iudicandum esse puto, ut in omnibus eius generis morbis nihil infuisse dicamus singulare aut proprium, nisi quod morbi vis alia alia maior erat. Huiusmodi igitur morborum paucos tantum accuratius describere satis erit.

Ac primum quidem afferendus est adolescentulus quidam robusti et sani corporis (Ph. Schneider), cuius iam supra, quo loco de stadio illo prodromorum agebatur, fecimus mentionem. Hic igitur prid. Cal. Novembr. queri coepit de languore corporis, ciborum fastidio et capitis doloribus, quibus rebus prohibebatur, quominus muneris officiis — cum esset faber claustrarius — fungi pergeret. Quo in statu cum aliquot dies fuisset, a. d. III. Non. Novembr. subito frigore vehementer iactabatur, quod sequebatur acris febris ac deliratio. Deinde postquam turbidam degit noctem, per quam vehementer delirasse et acerrimae febris signa dedisse dicebatur, Non. Nov. exanthema exortum est, quod brevi tempore summam corporis cutem tam plane inficiebat proprio illo rubore, ut paucae tantum fasciae nativo colore non privarentur. Accessit etiam eiusmodi Angina, qualis in nullo alio observata est aegroto.

Lingua singulari quodam rubore inficiebatur, obtecta cana acervatione, quae usque ad membranam mucosam faucium se extendebat in forma anginae membranaceae. Fe-

bris saevire pergebat, dum cutis temperatura ad insolitam, ut ita dicam, ascendebat altitudinem. Exinanitio ibat bene et facile, et excrementa liquida ac pulticulae similia erant neque minus minctio s. diuresis integra manebat. Maxima autam cura adhibenda erat de acervatione illa in faucibus conspecta, quam celerrime in omnes partes se extendere ex rauca et aspera aegroti voce satis potuit intelligi. Attamen adhibitis remediis expectorantibus et vehementi efficacique gargarismate, parato ex Arg. nitr. peregimus, ut etiam illud periculum demoveremus. Tandem autem, cum omnia symptomata sensim evanuissent, a. d. III, Id. Nov. desquamatio successit. Prout igitur vehementissimum fuerat exanthema, ita etiam epidermis magnis pannis desquamabatur et expectoratione illud inter stadium magna membranarum frusta evomebantur.

Morbus autem, quantacunque vehementia omnia illa symptomata exstiterant, tam prospere succedebat, ut ne ulli quidem morbi secundarii remanerent, nisi catarrhus quidam bronchialis in horum numero referendus est, qui iam inter ipsam Scarlatinam exortus erat, remediis autem expectorantibus iisque satis efficacibus mox cedebat. — Erant autem ne huic quidem conditiones externae opportunae, immo vero pernoxiae. Postea tamen omnia cetera incommoda, quantum fieri potuit, remota sunt, unde potissima nescio an causa sit repetenda, cur tam prosper fuerit exitus.

Hoc loco commemorandum esse mihi videtur, etiam virum aetate iam provectum, qui in eadem domo habitabat, acri erysipelate faciei et capitis affectum esse, quam ob rem in nosocomium receptus est.

Ab hoc autem, quem omni ex parte satis accurate exposuisse mihi videor, morbo diversam formam etiam addam, quae in infante septem mensium (Dorothea Dunkel) observata est.

Rubor cutis, etsi perspicuus aderat, unum tantum diem continuabatur; colli glandulae intumuerant et in interiore oris cavo, in quantum hac in parvula potuit inspici, Hyperaemia observabatur. Glandularum tumor, postquam adhibito ungt. Kal. iodat. celerrime est remotus, satis uber successit desquamatio, quae plures dies continuabatur. Cum hac autem omnia symptomata evanescebant.

Ut igitur ad alteram illam Scarlatinae formam transeam, in qua nulla nisi colli affectiones symptomata deerant, primum dicendum est, hanc ipsam formam magna fuisse varietate. In aliis enim aegrotis, quamquam Anginae symptomata deerant, copiosa tamen postea accedebat desquamatio: in aliis autem exanthema quidem perfectum erat, desquamatio tamen aut manca, aut prorsus deerat.

Quam in Scarlatinae formam primum refero puerum duodecim annorum (Franz Schneider), qui macro erat et exili corpore et exsangui quasi specie. In hoc igitur colli affectiones, etsi non prorsus deerant, perleves tamen erant et ita recedebant, ut ne tumor quidem conspiceretur, nec tonsillarum, nec ceterarum glandularum colli Postquam percurrit stadium illud, quod dicitur prodromus nonnullorum dierum, inter quod de capitis dolore, de nausea et insomnia querebatur, exstitit exanthema, tres tantum dies consistens; quibus successit bona desquamatio. Accesserant autem iam primo die eruptionis periculosa ac sollicitantia symptomata, quippe quae typhi darent signa. Caput erat gravatum et arido quodam ardore affectum; arteriarum pulsus aliquid undosi habebat ita tamen, ut non prorsus esset dicrotus; desurgendi quidem voluntas satis magna, excrementa ipsa autem perexigua; lingua porro nonnullis locis ruborem servaverat, attamen obtecta erat et arida; nausea denique atque ructus aegrotum sollicitare non intermiserunt.

Ita cubabat semisomnus in statu quodam, ut vehementissime quidem esset affectus et patiens, certas tamen querelas deferre non posset. Postridie eo effecta est mutatio, quod cum remediis adhibitis magna secuta esset alvi deiectio, paullulum recedebant gastri symptomata. Tum autem intercessit asthma, cui celeri opus erat auxilio. Postquam tamen etiam hoc est remotum, morbus, quantumcunque initio periculum adesse videbatur, aptis iisque potissimum corroborantibus remediis adhibitis prosperum habebat exitum. In hoc autem mirum potest videri, quod cum eiusdem familiae praeter tres iam commemoratos, quartus simul cum fratribus suis perfecta Scarlatina aegrotus iaceret, unius cuiusque morbus prosperrime exibat, quantacunque vehementia alia in aliis exstiterunt symptomata.

Ut etiam eius generis proferam exemplum, in quo quum Angina manca esset et imperfecta, tum desquamatio deerat, puella commemoranda est septem annorum, Elise Stommel, quae postquam pauca tantum eaque levia indicia antecesserunt, a. d. V. Id. Dec. valde gravi affecta est exanthemate. Atque prioribus quidem diebus nihil insoliti in symptomatis inerat, nisi quod deerat Angina; tertio autem augebatur inquies, quam prostratio sequi solebat creberque vomitus atque fuga quaedam lucis. Iacebat autem aegrota caput semper vergens in latus et post inquietem illam, subito exortam magna ingruit debilitas viriumque defectio. Quae symptomata cum sexto fere die paullum recederent, locum dabant alvi profluvio, quod tamen mox ultro desistebat. Tum autem cedente exanthemate, procedebant symptomata bronchialia, quum aegrota tussire inciperet et physica daret signa catarrhi bronchialis. Simul accessit grave faciei eczema, quod valde madebat. Aptis deinde remediis adhibitis catarrhus bronchialis, dum tussis sensim minueba-

tur, decedebat; alvus soluta erat nec impedita diuresis, cibi denique cupiditas revertebatur; eczema tamen pertinax continuabatur et multis demum hebdomadis praeteritis prorsus evanuit.

Similis erat aegrotatio sororis, puellae decem annorum quamquam minus difficilis ac contorta, cum praecipue tantum capitis dolores eam usque ad finem comitarentur, haud tamen deesset grave eczema.

Ut autem de his exemplis, quae quasi paradigma ceterorum statui possunt, universam quandam rationem seu legem proponam, id quidem observavi, ut eos morbos, in quibus Angina minus esset perfecta, et nervorum et gastri symptomatis complicari viderem. Cuius tamen rei causam afferre nequeo, nisi ita licet iudicare, ut Scarlatinae venenum, cum eiusmodi in morbis in alias transeat corporis partes, illa symptomata efficere censeamus.

Quum igitur de stadio prodromorum et exanthematis satis multa dixisse mihi videar, nunc pauca addam de stadio desquamationis. — Haec igitur non minore quam cetera symptomata inter illam epidemiam erat varietate. Observabatur enim nonnunquam epidermin in magnorum pannorum forma a cute desquamari et tum quidem potissimum, quum exanthema floride quasi processerat. Huius generis exempla iam supra protulimus, ac revoco tantum ad Ph. Schneider. In aliis autem singuli tantum iique maiores panni manuum potissimum a cute resolvebantur, quum in universum quidem desquamatio furfuris formam efficeret; velut morbillorum exanthemati succedere solet.

Alii deinde observabantur morbi, in quibus paucis tantum cutis locis desquamatio incideret, in aliis denique aut prorsus deerat, aut levissimae tantum squamulae a cute resolvebantur. Atque huius quidem formae sex exempla enumeravi. — Quum plerumque eis aegrotis, in quibus

desquamatio aut manca aut tarda est, calida lavatio suadeatur, quae quanta esset utilitate in Policlinico nostro iam cognoscebatur, etiam nos libenter fecissemus, ut in illis aegrotis eam adhiberemus, nisi iniquis conditionibus externis prohibiti essemus. In uno tantum, quum nullum adesset periculum perfrictionis, eam adhibuimus, nec tamen eventus tam secundus fuit, quam speraramus. Licet enim nihil mali consequeretur, desquamatio tamen nulla fere fuit. Hoc loco commemorandum esse puto, nonnullis in aegrotis, ut supra iam docuimus, loco desquamationis eczema apparuisse, et satis diu permansisse; quod quidem eczema quasi partes desquamationis suscepisse mihi videbatur. Utrum alii idem observaverint, haud scio, certe autem satis dignum est, quod commemoretur.

Postquam igitur in eis, quae antecedunt, Scarlatinam ipsam, ratione habita varietatis, qua tribus illis in stadiis, prodromorum, eruptionis et desquamationis progediebatur, satis iam descripsimus, addimus etiam, maximam quidem nos operam dedisse, ut morbos observatos in ordinem quendam seu classes describeremus; quod tamen fieri non potuisse, nemo non intelliget, cum, quod omnibus in rebus accidere solet, etiam hic alia in aliam formam transire soleat, ut praesertim si accedunt difficultates seu complicationes, maxima formarum sit varietas. De his igitur; quae dicuntur, complicationibus pauca etiam addam. Vigebat enim, ut, iam supra commemoravimus, quum ante, tum post epidemiam illam exortam bronchialis catarrhus, qui quidem in magna, quin etiam in dimidia parte morborum cum Scarlatina coniungebatur. Intercedebat autem plerumque simul, ac cutis rubor apparuit, nonnumquam iam in stadio prodromorum aderat, rarissime autem, non nisi aegrotus minus tuebatur contra frigorum iniuriam, tum accedebat, quum exanthema decedere

coeperat. Bronchiti capillari una tantum affecta est, puella trium annorum, Theodora Schüller, quae cum esset infirma et macra, postquam incerta praegressa sunt symptomata — parentes eam evomuisse dixerunt—pergravi scarlatina correpta est, quod quidem eo magis mirum videri poterat, quod in eadem domo et in finitimo quidem conclavi duo infantes morbillis aegroti iacebant. Quatuor diebus post exanthema exortum omnia incesserunt signa bronchitis capillaris, quae perbrevi ita crescebat, ut magnum ferret periculum. Adhibitis autem remediis expectorantibus iisque efficacibus, quae mox in China decocta dabantur aliisque, illa symptomata paucis vestigiis relictis decedebant. Quum autem aegrota in aliam eamque remotam domum deportata esset, in qua haud satis cautionis adhibuisse verisimile est, paucis diebus pneumonia exorta est, qua infans perbrevi mortua est, Sectionem facere non licuit.

Omnia autem, quae de complicationibus scarlatinae cum bronchialibus symptomatis, iam retuli, et accuratissima et certissima perscructatione me invenisse affirmo, ne forte quis putet observationis vitium intercurrisse, quod quidem facile potest accidere, cum plerumque doceatur, catarrhalia symptomata scarlatinae deesse.

Ut porro pauca addam de gastricis symptomatis, haec potissimum vomitu alvique profluvio cognoscebantur, atque eo periculosiores erant hi morbi, quo magis universum corpus docuerunt aegrotationis esse particeps, quoniam praeter gastro - intestinalem catarrhum etiam nervi continua motione sollicitarentur. Duos, quos enumeravimus eiusmodi morbos, cum accederet etiam morbus Brighti, postea describemus.

Ut igitur ad morbos secundarios seu consecutivos transeamus, bis quidem scarlatinam consequebatur tuberculosis,

semel Otitis suppurativa, bis inflammatio oculorum satis acris, semel pneumonia et decies morbus Brightii. Tuberculosis iam supra alterum exemplum attuli Elisen Dunkel, alterum erat Sürth, puer quatuor annorum, quem, postquam scarlatina satis legitimum exitum habuit, tuberculosis corripuit ac brevi tempore vitae finem fecit. Otitis suppurativa puerum tentavit octo annorum, Mahlberg, tempore desquamationis pluresque per hebdomades magna vehementia consistebat. Oculorum deinde inflammatione affecta est illa iam commemorata Elise Stommel ac valde erat lucifuga. Cuius permolesti morbi consecutivi, qui scarlatinam raro solet sequi, causa iam e tempore exanthematis repetenda esse mihi videbatur. Multo autem vehementius hic morbos aggressus est puellam quinque annorum Mariannam Dunkel, cuius tres sorores eadem scarlatina aegrotae erant. In hac igitur exanthema quidem floride procedebat, angina autem levis erat et desquamatio nulla fere aderat. Quo autem tempore haec incedere debuit, ingruit inflammatio oculorum, qua aegrota tam lucifuga reddita est, ut capite in cervicali recondito semper iaceret anxie nitens, ut omnem luminis influxum fugeret. Multis demum praeteritis hebdomadis huic morbo plane potuimus mederi. — Illius aegroti, qui etiam pneumonia affectus est, iam supra mentionem fecimus. — Venimus igitur ad morbum Brightii; de quo tamen, quum illam inter epidemiam ceteris crebrius accideret atque omnium morborum scarlatinam consequentium gravissimus sit maximique momenti, paullo accuratius ac copiosius dicendum est. Longum quidem praeteribat tempus, donec ea sententia approbabatur, ut hydropisin, scarlatinae succedentem, de qua tamen ante Doering*) et Sennert nemo adhuc quidquam

*) De febr. lib. IV. cap. 12.

retulerat, renum aegrotatione effici iudicaretur. Refert quidem I. Calvo,[1]) qui inter scarlatinae epidemiam Florentiae (a 1717) saepe observabat hydropisin morbum secundarium in corporibus illo morbo mortuorum pulmones, saccos pleuricos et renes, alios aliis magis inflammatos fuisse. Primus autem Reil[2]) cognovit, renes molles esse ac tumidos sanguineisque succis perfusos, quum Fischer[3]) accuratius etiam referret, eos sanguine redundare et valde obnoxios esse inflammationi. Bright,[4]) Gregory[5]) et Christison[6]) cum accuratius perscrutarentur et renum mutationes et urinae secretae, illam Scarlatinae succedentem hydropisin eodem genere esse iudicabant, quo esset morbus ille renum, quem prior illorum cognoverat, sed ne hi quidem ausi sunt iudicare, utrumque prorsus idem esse. Frerichs[7]) denique in praeclarissimo suo de Brightii morbo renorum scripto primus demonstravit et accuratissime et certissime, morbum Brightii Scarlatinam sequentem haud alia esse natura et indole quam quum aliis ex causis repeteretur. Quantus tamen numerus eius modi morborum Brightii esse soleat, pervariae eaeque incertae tantum adsunt relationes, et ipsius epidemiae

1) Borsieri, Institut. med. pract. vol. II. p. 73 Lips. 1826.

2) S. Chr. Beil. Fieberlehre Bd. V. p. 125.

3) Fischer A. F. Journal für practische Heilkunde, herausgegeb. v. C. H. Hufeland et Osann. Febr. 1824.

4) R. Bright report on medical casses. London 1827. Guy's hospital reports 1836 ibid. 1840.

5) Edinb. med. and surg. Journal Vol. XXXVI. p. 315 Vol. XXXVII p. 54.

6) R. Christison observations on the variety of dropsy, which depends on diseased Kidney. Edingburgh med. and surgic. Journ. Vol. XXXII; porro on granular degeneration of the Kidney. Edinb. 1839.

7) Frerichs, die brightische Nierenkrankheit und deren Behandlung. Braunschweig 1851 p. 199—208.

indolis ratio habenda esse videtur. Observabant enim Wood in epidemia Edinburgi a. 1835 et 1836 inter octonas Scarlatinas semel tantum accedentem Anasarcam, ita ut ad centenas referendae essent circiter 12 ½. Refert autem Rösch[1]) priore semestri anni 1842, inter 266 Scarlatina aegrotos 26 seu 10% consequente hydropisi et Albuminuria esse affectos, quum Frerichs anno 1843 in Frieslandia orientali inter 97 enumeraret 4 tantum, paullo igitur plus 4%, et Iames Miller[2]) inter 3,33 unum seu 30% aestate a. 1848 Londonii, quo anno illa in urbe Scarlatinae epidemia 3550 homnies vita privavit.

Haidenhain autem[3]) observavit vere anni 1846 in numero 26 infantium Scarlatina aegrotorum 21, quos corripuit morbus Brighti; ratio igitur erat circiter 80%. Alfred Vogel[4]) denique inter 50—60 aegrotos duos tantum hydropisi correptos videbat, quum Dr. Deiters[5]) inter 30 aegrotos quatuor observaret, quorum duo mortem occubuerunt, postea autem inter 85 enumeraret 20.

In nostra epidemia morbus Brighti, ut iam supra diximus, decies exstitit; quorum decem aegrotorum sex mortui sunt, duo convaluerunt, duo autem inter ipsam curationem e Policlinico ablati sunt.

Eorum igitur, quorum morbus infelicem habuit exitum, primum commemoro duos Quastii liberos, quorum aegrotatio paucos tantum explebat dies. Atque in priore quidem, puero quinque annorum aliquot per dies incerti et dubii livores apparuerunt, non tamen admodum respiciebantur.

1) Heidelb. Journ. IX Bd.

2) Lancet 1849 mense Iulio.

3) Casper's Wochenschrift 1849 Nro. 27.

4) v. „de morbis infantium" p. 443

4) loco citato.

Quum aegrotum a d. X. Cal Nov. primum viderem, arteriarum plusus valde citatus erat, cutis temperatura creverat et e vultu anxietas quaedam ac sollicitatio eminebat. Laborabat porro crebro vomitu et vehementi alvi profluvio simulque ventris doloribus, qui ad modum paroxismi ita percrebruerunt, ut puer magnum tolleret clamorem. Urina effundebat magnam copiam albuminis ovi et fibrani cylindri. Quae symptomata tanta rapiditate percrebrescebant, ut iam postridie aegrotus peior esset, quam cui spes sanationis dare possemus. Mortuus autem est a d. VII. Cal. Nov. Oedemate pulmonum. Huius frater, puer quatuor annorum a. d. IX Cal. Nov. eodem morbo correptus est ac similia erant symptomata, neque minus accedebant alvi dolores et convulsus. Mortuus est pridie Nonas Nov.; neutrius tamen licebat facere sectionem. Tertia commemoranda est puella quatuor annorum, Mahlberg, quae tribus hebdomadis post quam exanthema decessit, oedemate affecta et primum quidem faciei, deinde etiam ceterarum corporis partium, nec tamen initio vehementia erant symptomata. Valde autem aegrota negligebatur, quum parentes totum per diem negotiorum causa domum relinquerent, tantumque aberat, ut, quae praescripta erant, remedia adhiberentur, ut ne cura quidem necessaria impenderetur. Itaque cum sensim percrebruisset hydropisis morbumque Brightii iam antea adfuisse perscrutatione urinae efficeretur, mortua est puella oedemate quodam pulmonum. Sectione cognoscebatur degenerationem renum adesse illius quidem generis, quod Frerichs ad alterum refert stadium.

Quartus erat puer decem et semis annorum, Joh. Becker; cuius morbus a, d. V. Id. Nov. id cepit initium, ut vehementissime iactaretur frigore, cui totius corporis lassitudo, angor et capitis gravitas succedebant. Accedentibus gravibus colli symptomatis a. d. III. Id. Nov. exan-

thema provenit, quod mox summam totius corporis cutem infecerat. Iam eodem die accesserat vehemens catarrhus bronchialis et violentum alvi profluvium, dum febris saevire pergebat somnusque aegrotum prorsus fere deficiebat. A. d. II. Id. Nov. exanthema perfectum nominari potuit; febris autem vis augebatur. Alvus profluvio adhuc obnoxia erat, et urina, cum esset perexigua, in fuscum illum cerevisiae colorem transierat, angina denique maximis aegrotum afficiebat doloribus. A. d XVI Cal. Dec., haud decedente nec catarrho bronchiali, nec febri, incipiebat desquamatio, qua epidermis magnis pannis a cute resolvebatur. Haec igitur sine ullo novo ac singulari symptomate, bene procedebat. A. d. IX Cal. Dec. primum observavi leve quoddam faciei oedema, ad quod creber somnus magnumque fastidium ciborum accedebat. Postridie evanescere coepit oedema, attamen coryza, qua subito afficiebatur aegrotus, magnam ei attulit molestiam, cum prohiberetur, quominus libere respiraret. A. d IV Cal. Dec. id mirum mihi videbatur, quod, cum aegrotus satis bona se esse valetudine ipse diceret, arteriarum pulsus insolitum in modum intermittere solebat Urina illo die paullululum effudit albuminis, quod tamen in dies augebatur. Prout autem albumen et cylindrus fibraneus crescebat, ita diuresis ipsa minuebatur. A. d. IV Non. Dec. faciei oedema iam valde grave et biduo postea hydrops perfectus erat. Querebatur autem aegrotus de acribus ventris doloribus et de spirandi difficultate. Nonis Decembr. aegroti conditio iam periculosissima facta erat, cum aegre ac summo cum labore duceret spiritum, arteriarum pulsus essent imbecilli iique celeres, cutis arida ac calida, urina denique aut nulla secerneretur, aut certe paucae tantum guttulae. Quae omnia symptomata a. d. VIII Id. Dec. valde percrebruerant, quum arteriae filatim quasi mi-

carent tantaque adesset spirandi difficultas, ut aegrotus sedere tantum in lecto, non recubare posset. E vultu summus eminebat angor, sensus tamen nondum erant prorsus perturbati. Hora matutina postero die puer mortuus est. Sectione deinde facta quum in pectore, tum in praecardio magnum aquae confluvium conspectum est. Pulmo sinister valde tumidus fuit et paullulum tantum aëris continuit, dexter magna ex parte splenico quodam tumore affectus fuit.

Dexter cordis ventriculus laxatus fuit et extenuatus, iecur autem integrum. In intestino tenui nonnullae tumidae glandulae Peyerianae inventae sunt et solitarii eique perfusi folliculi. In abdomine inerat magna liquoris copia, dum renes ac praecipue quidem rectus valde degeneratus erant.

Quintum porro commemoro puerum septem annorum, qui tribus fere hebdomadis post quam Scarlatina defunctus est, de variis doloribus queri coepit. Prid. Id. Dec., quo die primum eum visitavi, incesserat eum acris febris, spirandi difficultas, vomitus et vehemens ventris dolor; accedebat etiam fluctuatio in abdomine, oedema faciei et acer capitis dolor. Cutis temperatura, cum ipsa esset arida, valde creverat; diuresis prorsus fere desistebat. Itaque iam Id. Decembr. horis vespertinis aegrotus mortem succubuit.

Sectione facta in sacco pleurae magnam liquoris copiam inesse cognitum est; sinister pulmo valde fuit tumidus; dexter lobus inferior et partim etiam medius splenico quodam tumore affectus; et conspecta est cum in praecardio, tum in abdomine magna liquoris copia. Hoc continebat multas glandulas mesenteriales, quae tumidae erant et modo inflammatae. Stomachus inanis fere fuit et in parte pylorica conspectum est ulcus rotundum seu perforans. Iecur firmum quoddam ac densum textum exhibebat. Ren sinister in fine quasi primi illius, quod Bright describit, stadii constitit, dexter

autem eo degenerationis iam processerat, ut venisset ad finem alterius stadii.

Sextus deinde illius generis morbus, quum et celerrime exiret et sectionem facere non possemus, haud admodum notabilis esse mihi videtur.

Eorum autem, quos e curatione nostra et observatione subductos esse, supra ennaravi, prior erat puer quatuor annorum (Brodesser), qui tribus fere hebdomadis postquam cutis rubor apparuit, morbo Brightii laborare coepit. Quum eum a. d. IV Cal. Dec. primum videbam, fluctuationem in abdomine clare potuit cognosci. Ciborum tamen cupiditas adhuc aderat et ne somnus quidem difficilis. Urina effundebat albumen et cylindrum fibraneum. Quum tamen de statu eius certum iudicium proferre non liceret, iam paucos post dies ab alio medico eum tractari vidimus.

Alter eorum puer erat sex annorum, Bürvenich, qui a. d. IV Non. Dec curandus mihi traditus est. Tres iam ante hebdomadas parentes dorsi quendam ruborem observare sibi videbantur; attamen puer bona utebatur valetudine, libenter cibum sumebat, scholasque frequentabat. Biduo autem antequam eum vidimus, subito tumor faciei et inferiorum corporis partium apparuit. Urinae perscrutatio docuit magnam copiam albuminis et cylindri fibranei in ea inesse Paucos tamen post dies etiam hic e Policlinici curatione subductus est.

Restat, ut pauca addamus de duobus illis, qui convaluerunt, aegrotis. Prior eorum erat puer quatuor annorum, Christian Grünewald, qui tribus hebdomadis postquam Scarlatina defunctus est et bona successa est dequamatio, morbo Brightii correptus est. Accedebant etiam multa omnis generis symptomata ita ut minima spes boni exitus relinqueretur. Nihilominus autem adhibitis roborantibus et tonicis

confluvium tum ex urina albumen quamquam sensim tan- remediis una cum valido victu, quum ex abdomine aquae tum, tamen tam plane removebatur, ut nunc puer optima utatur valetudine.

Neque minus prosper fuit exitus alterius morbi adhibito acido tannico; quod nuperrime commendatum remedium tum demum adhibuimus, postquam diuretica, roborantia et tonica frustra impensa sunt.

Ut denique pauca addam de curandi rationem, quam in illa epidemia adhibuimus, in universum quidem eiusmodi utebamur remediis, quae accomodata essent et conditionibus et symptomatis. Lardum ut infricaretur, quamquam non plane eam, quam Schneemann suadet, rationem adhibebamus, semper tamen eis aegrotis praescripsimus, qui ne mancas propter domos frigoris iniuria tangerentur periculum erat, qua infrictione efficere studebamus, ut cutem tegimine quasi tuente velaremus. Sane quidem facere non possumus, quin fateamur, non semper illis infrictionibus incommoda prohibita esse, veluti, ut hoc unum tantum afferam exemplum, I. B. quem supra iam commemoravis, quamquam illae infrictiones adhibebantur, nihilominus tamen morbo Brightii correptus est. Annon. carbonicum omnibus fere in aegrotis adhibitum est, haud tamen vidimus, magni illud esse momenti ad morbum commutandum.

Ex hoc autem intelligitur, nullam certam regulam, quae nominari solet practica, ex observatienibus erui posse, nisi ea gravissimum illud comprobatur praeceptum, ne nimia ac caeca quadam fiducia illorum remediorum, quae plerumque solent commendari, ducamur, sed in unoquoque morbo, quae propria sint cum symptomata, tum remedia accurate per scrutemur.

VITA.

Natus sum *Wolfgangus Wolff* Bonnae die XX m. Octobris anno h. s. XXXVII patre *Daniele*, matre *Sophia* e gente *Samuel*, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor mosaicam. Primis litterarum elementis imbutus sum per octo annos in Gymnasio, quod *Schopenio* rectore clarissimo hac in urbe floret. Maturitatis deinde testimonio munitus auctumno anni LVII almam hanc litterarum universitatem Rhenanam adii et a rectore magnifico *Haelschner* in civium academicorum numerum receptus apud v. cl. *M. I. Weber* tt. gratiosi medicorum ordinis spectatissimum Decanum professus sum nomen.

Per quadriennium deinceps aderam et praelectionibus et exercitationibus practicis virorum illustrissimorum ***Albers, Bischof, Busch, van Calker, Caspary, Helmholtz, Kilian, Knoodt, Naumann, Noeggerath, Pflüger, Plücker, Schaaffhausen, Treviranus, Troschel, M. I. Weber, C. O. Weber, Wutzer***.

Quibus viris omnibus, me maxime de meritis, inprimis viro clarissimo ***M. I. Weber***, apud quem per semestre assistentis in anatomia munere functus sum, nec minus viro clarissimo ***Pflüger***, apud quem eundem in physiologia assistentis locum per semestre obtinui, gratias habeo quam maximas semperque habebo.

THESES.

1. Cataplasma in peritonitide re mediumvalde dubium est.
2. Halisteresis cerea non nisi in partu cognosci potest.
3. Exanthemata, quae dicuntur, acuta non cutis tantum affectiones sunt.
4. Omne vivum fluxus electricos praebet.
5. Embryotomia nunquam permissa, nisi morte foetus certa.